

Oratio in theatro Collegii Regalis Medicorum Londinensis, ex Harveii instituto habita, MDCCCXLI.

Contributors

Mayo, Thomas, 1790-1871.
Royal College of Physicians of London

Publication/Creation

London : Stewart & Murray, 1841.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hm9c8rmx>

Provider

Royal College of Physicians

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

6

O R A T I O

IN THEATRO

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

LONDINENSIS,

EX

HARVEII INSTITUTO

HABITA

DIE JULII XXV. AN. MDCCCXLI.

A


THOMA MAYO, M.D.

COLL. REG. MED. LOND. ET REG. SOC. ET OLIM COLL. ORIEL. OXONIE. SOC.



LONDINI:

E PRELO STEWART & MURRAY, OLD BAILEY.



Digitized by the Internet Archive
in 2015

<https://archive.org/details/b24975564>

ORATIO HARVEIANA.

HODIERNÂ die, quâ beneficio Clarissimi Harveii laudibus exornandi sunt, quicumque academiam nostram munificentîâ aut bonarum artium studiis ampliarint et sustentarint, ita propositum collineare finem, ut non ab Harveio ipso initium faciam, planè difficile esset: præsertim quod in tali cœtu locum sibi facilè primum vindicat. Me verò, si quid de eo, tantus cum esset, indigni et temerè concepti proferre videar, veniam à vobis eò impetratum confido, quod non sponte meâ, sed auctoritate clarissimi præsentis adactus, et alienâ fungens vice hoc munus suscepi; etsi nemini cedo, qui Harveium admiratione, et, si viribus liceret, imitatione lubentiùs prosequeretur.

Verum, etsi huic muneri obeundo impar sim, quantum ad Harveii nomen et hujusce similium virorum pro meritis amplificandum attinet, cuivis tamen in promptu sit exempla quædam et præcepta de vitâ et moribus eorum desumpta proferre, quæ communi omnium utilitati inserviant.

Id equidem ad Harveii famam nonnihil pertinere arbitror; cujus ut reperta quidem per totum terrarum orbem vulgata sunt. ingenium tamen ipsum nequaquàm pro meritis innotuit; etsi reverà parùm abfuit, ut easdem quas Baconus ipse Verulamius ob nova cogitandi posita principia laudes sibi vindicare possit.

Verum enimvero, si in hac Harveii contemplatione repertis ejus nonnihil immoremur, id eâ mente nos fecisse putandum est, non quòd res satis cognitae in lucem de novo proferre studeamus, sed quòd, luce ex iis illatâ, ingenium ipsum hujusce viri, et quod in eo singulare sit perspectius habituri simus.

Cum multa alia, tum id præcipuè intercessisse videtur inter Harveium et plerosque ætatis suæ philosophos, ut eæ conjecturæ, quas, experimentis postea adhibitis, obfirmare voluit, adeo provisum est, ne aut incertæ essent aut fortuitæ, ut argumentis et indiciis nequaquam obscuris ipsæ niterentur. Quod profecto eò magis in laudem Harveii cedet, si quis recordetur non modo maximam fuisse ante Harveium conjectandi temeritatem, sed et à Bacono ipso in hâc parte peccatum esse. A Bacono etenim nequaquam eâdem cautum est diligentîâ, ut conjecturæ, e quibus inductio quælibet quasi ortum capiat, sanæ essent, quâ ad inductionem ipsam per exclusiones debitas rite peragendum usus est.

Id profecto nemini erit dubium, postquam historiam Baconi naturalem perlustraverit. Multa in eo libro se conjectasse credidit vir celeberrimus, summum quidem momentum ad physicam scientiam habitura, cum essent reverà neque fructifera, neque lucifera.

Quòd si vix Bacono cedat Harveius noster, qui veras cogitationis rerum vias patefecerit, mirus fuit quo illuxit splendore inter minora sui sæcli sidera. Quod ita profecto manifestius erit, si quis eum vel cum illis conferat quos haud aliter collaudatos esse suis temporibus accepimus, ac si quadam de parte nomen Harveio soli debitum sibi possint vindicare. Sic voluit obtrectantium

invidia! At non iniquum fore censeo, ut quos arcesserunt alii ad redarguendas Harveii laudes, eos, ad easdem amplificandas in hoc cœtu hodiè arcessam.

Nemini profectò dubium esse potest, quin de republicâ bene meriti sint ante Harveium tres præcipuè viri, quia curam motibus et functionibus cordis et sanguinis expendendis sedulam dedissent. Servetus, scilicet, Realdus Columbus, et Cæsalpinus; etsi longissimè absint ut divisas cum Harveio laudes aut tulerint, aut tulisse debuerint. Nec magis dubitari potest, quin impedimento essent, quominùs in hac investigatione profecerint, multa temerè conjectata, quæ pro principiis hi viri clarissimi habenda voluere.

Cujus rei documen haud obscurum id præbet, ut de naturâ hepatis disceptantes magnam illud viscus officinam aut quasi culinam esse statuerunt, in qua elaboretur aut concoquatur sanguis.

Quâ semel temerè conceptâ sententiâ, haud abs re fore putandum est, ut motus, si qui sint, et cursum sanguinis de hepate potius quam de corde pendere credant; cum autem nullam vim motricem hepati inesse sentiant, rem totam in medio relinquant.

Nam, ut circuitum quendam sanguinis per pulmones factum conjecturunt, parum tamen *ista* valuit conjectura ad veram rei rationem expendendam. Quippe sanguinem compresso pulmone, e venâ arteriosâ in arteriam venosam exprimi credidit Servetus. Cordi sedenim id tribuit munus, ut sanguini non tam propellendo quam quasi vivificando inserviat. Quòd autem ad circuitum illum majorem sanguinis per vasa totius corporis faciendum, ne ulla hujus rei suspicio in mentes eorum incidere potuerit, obfuscatas

scilicet, vel ab initio, pravis conjecturis, sub quarum malignâ luce iter faciebant. Quin Cæsalpinus, qui proximus ante Harveium natus est, longiùs quam aut Servetus aut Columbus à verâ doctrinâ aberravit, à quo ponitur sanguinem ab hepate elaboratum cum spiritu quodam aut aurâ vitali in corde ità commisceri, ut pulsationi cordis thoracem ferientis aer subitanè expansus in causâ videatur. Quam profectò conjecturam ut temeram et indiciis carentem, ità æque ac illam alteram de hepatis naturâ impedimento futuram esse liquet, quin vera natura motûs cordis comperiatur. Quoniàm, si rectè sentiat de ea re Cæsalpinus, pulsus cordem thoracem ferientis non systolicus, sed diastolicus sit, necesse est.

Adeo hi viri, principiis temerè positis orsi, longissime abfuerunt, ut veritatem attigerint; etsi et subtilis essent et acris ingenii, et nequaquam ignorasse possent quæ suis temporibus ab Eustacio et Sylvio et Berengaro de valvulis venarum comperta aut cogitata essent.

At nostro Harveio, nunc enim ad eum veniendum est, primo aut soli sui sæcli penitus innotuit, parùm valere aut observata aut experimenta facta, quæcunque pravæ hypothesei inserviant; nec ullam ei hypotheseim placuisse liquet, cui non ipsa rei natura aut certa quædam indicia fidem fecerint. Id modò sibi dandum postulavit Harveius, ut cordi vis inest muscularis. Quâ vi cordis concessâ, nil vetuit, quin coarctatis ventriculis, sanguini per vasa mittendo possit inservire. Quos ad hunc modum conjectarat cordis usus, eosdem, experimentis factis, statim comprobavit. Cursu sanguinis ad hunc modum primùm conjectato, dein comperto,—mox Har-

veium summa cum perspicitate id quoque conjectantem agnosci-
 mus, ut non cursus modo, sed et recursus quoque sanguinis fiat.
 Cujus rei duobus præcipuè indiciis usus sit. Valvulas scilicet ve-
 narum tales esse comperit, quales eas esse oporteret ad sanguinis
 regressum expediendum: quin et sanguinem ipsum majori copia
 vasa pertransire vidit, quàm ut alimento refici et suppeditari possit.
 Quocircà, si verbis ipsius Harveii uti licet, necesse fuit, ut, mutato
 cursu, ad cor regrediatur. At quem hisce usus indiciis veri-
 similem agnovit, eundem ille sanguinis regressum experimentis
 postea certissimis comprobatum reliquit.

Quantum distent non experimenta modo sed et prædicta et con-
 jectata Harveii à Serveti aut Columbi aut Cæsalpini somniis, vix
 opus fortasse fuit, ut apud vos exponam, socii doctissimi;—id
 modo in hâc parte propositum habui, ut eum tanquam novam
 philosophandi viam ingressum debitis, quantum in me situm est,
 laudibus amplificem.

Jactis ad hunc modum quasi medicæ scientiæ fundamentis,
 quantum ad eam postea augendam contulit Harveius incertum est.
 Magni eum pretii apud suos esse habitum, et ab infelici Rege
 Carolo primo summis honoribus cumulatum minimè incertum.
 Mox eum, civili sæviente bello, direptâ domo profugum ad Ox-
 oniam se contulisse accepimus, ibi que commorantem Collegio
 Mertonensi præpositum esse. Id equidem socii clarissimi apud nos
 antiquissimum duco, ut literarum studia, quæ nos in juventute
 aluerunt, eadem et delectationem postea, et, si opus sit, solatium
 præbeant; nil potuit Harveio contingere optatius, quam, ut in
 talem portum, naufragio facto, recipiatur.

Sedenim cavendum est, ne hodierni instituti eò obliviscamur, ut vel in Harveio collaudando nimii simus, cùm ille quidem hanc orationem annuam, non sibi, sed omnibus, qui de Collegio nostro benè sint meriti, dicatam voluit.

Quin beneficiorum nosmetipsi planè immemore^s essemus, si eos quidem taceamus, qui in causâ fuerunt, ut hæc academia nostra fundata sit, ut honoribus aucta, ut privilegiis obfirmata; qui vel eam prælectionem Lumleianam instituerunt, in quâ, si vera ferunt, Harveii ipsius reperta primùm pervulgata sunt. Gratia scilicet Linacro, et Caio, et Cadwallo reddendæ sunt, non ob id solum quo nobis ipsi profuerunt, sed ob ea etiam, quæ huic Collegio *ab aliis* benefacta sunt.

Magnæ scilicet mentis opus fuit, novas res iis temporibus moliri, et societatem legibus obfirmatam construere, quæ vetaret inscitiam et audaciam empiricorum in vitas hominum impune grassari; e quâ, volventibus annis, orituri essent, non Harveius modo, sed et Sydenhamus et Freindius, et ingenium vividum et perspicax Radclivii, et quo nullus et suis et huic urbi toti dilectior Meadius, et ipse pathologiæ anatomicæ apud nostrates instaurator Baillæus; clari profecti viri, de quibus vereor, ne satius fuerit tacere quam eos parum laudare. — Quin fieri vix potuit ut ipse Linacer, non à Laurentio Medico solo sed etiam à sævissimo Rege Henrico octavo dilectus sit, ni penitus ei nota essent quæcunque mentes diversas hominum ita mulcere, et movere, et fingere possint, ut alienis voluntatibus ultrò obtemperent. Nullâ scilicet in re non instructus est, quæ ^{ad} ~~ut~~ artem suam ita philosophiam et literas humaniores spectaret; quibus profecto ingenii dotibus ea plerumque vis inest,

ut alios secum in consortium facile trahunt, quicumque ad hunc modum exornati sunt. Sed enim jure suo laudantur, qui principibus sic placent viris, ut non tam sibi quam civibus suis et communi omnium salutis consulere videantur.

Qui Harveium subsecuti sunt in academiâ nostrâ acrius incubuerunt medicinæ ipsius, quam Physiologiæ studiis; etsi in hâc parte minime prætereundi sunt Glissonus et Willisius et Lowerus. Quàm vellem, Numine faventi, exoriatur ex hâc domo aliquis, cui vias ab Harveio intentatas explorare contingat. Nam quòd ad nervorum functiones attinet, et eam vim, quæcunque sit, quæ latet in arcanâ eorum fibrâ, nil certi compertum habemus, quod artem medicam promoveat. Haud dubium est, quin nostris temporibus, eò scientiæ processerunt quidam clarissimi chirurgi, ut quæ pars medullæ spinalis motibus corporis, quæ sensationi inserviat, aut constat aut constare visum est. Quin multa à medico laudato nuperrimè accepimus de contractionibus musculorum scripta, quæ, stimulo cuti admoto, vel invitæ percipiuntur. Gratia quidem medico, de quo loquor, agenda sunt, quod rem arduam et difficilem tractavit, eamque innumeris exemplis illustravit. Quinetiàm nonnihil ab illo effectum est ad eum cursum recursumque comprobandum, quem hisce invitis contractionibus in causâ esse ducit. Sed enim experimentis certioribus opus est, quæ mentibus nostris ea lumina præferant, ut pateat, an iisdem medullæ spinalis partibus iisdemque nervorum fibrillis, pro diversâ admoto stimuli ratione, diversi sint usus; an id habendum est discrimen inter invitas musculorum contractiones, et eas quæ voluntariæ audiunt, ut diversæ singulis efficiendis nervorum fibrillæ, diversa pars medullæ spinalis instru-

menta naturalia sint. Sic enim ad veram rei rationem ventum esse fatebimur, si talibus experimentis constet.

Fuerunt profecto in hac parte Physiologiæ, quos Serveto aut Cæsalpino fas sit componere; at nondum exstitit Harveii similis aut secundus. Oportebit eum, quicumque sit, qui tantis incumbat ausis, nec ab obtrectantium odiis nec contumeliis moveri. Quippè Familiari cuidam ab ipso Harveio memoratum habemus, “ut multò rariùs solitò ad ægros invisendos esset accersitus, postquàm librum de motu cordis ediderat.” Quod si acciderit Harveio in re sensibus subjectâ quantò magis id futurum esse credendum est, ubi de phænomenis agitur, quæ simulari et fraudibus prætexi præcipuè soleant.

Quin ita sumus à naturâ comparati, ut quicumque novas et inauditas res in lucem reddunt, justiora posteriorum quam suæ ætatis judicia consecuti sunt.

Proximus Harveio, et quem diversi hominum ingenii ratione habitâ, vel Harveio componere liceret, incedit Sydenhamus. Nec ei quidem, etsi historiæ “morborum fere omnium” literis mandandæ operam dedit, observata solùm posteris tradere in animo fuit, sed etiam res novas excogitare et abditas medicinæ leges eruere et perscrutari. Nec defuere vires; sedenim quæ felici conjecturâ consecutus est Harveius, ea quidem, utpotè sensibus objecta, experimentis statim comprobare potuit. Quod longe aliter se habeat necesse est, ubi de causis et naturâ morborum agitur. Credo tamen, si spatium vitæ, quod tantis ausis responderit, Sydenhamo nostro suppetisset, magnum opus ab eo non inceptum modo, sed etiam effectum fuisset, quod non minùs apud

posteris valuisset, quam illud magnificentum Harveii de sanguinis circuitu repertum. Id profecto meam mentem subiit, quoties perlegerim quæ a Sydenhamo literis sunt mandata de morbis epidemicis. De his morbis profecto quæritur, continuâ quâdam serie quasi facto circulo, alii alios semper excipiant, an omnes indiscriminatim nullo ordine pro occultâ aeris diathese, et inexplicabili ratione temporum mortales incessant. Quod potuit laboris huic questioni expendendæ, id dedit Sydenhamus. Nobis autem vereor ne in culpam vertatur, quòd nequaquam quâ par fuit diligentia, ad litem hanc de morborum naturâ quam movit Sydenhamus, componendam usi simus. Scilicet, qui nos impendio nostro nostrum ipsorum nomina et numerum in tabulas referre nupèr voluerunt, credo equidem ab iis Legum latoribus in melius consultum fuisset, si morborum epidemicorum recensionem et enumerationem impendio *publico* faciendam statuissent. Actis hujuscemodi complendis nos Collegii Regalis socii operam dare non recusaturi sumus; quæ profecto hujuscemodi essent, ut nihil magis ad medicam scientiam augendam faceret.

Si quidem vacaret, Socii clarissimi, et mihi pergratum esset, et vobis credo haud molestum, ut longam percurram medicorum seriem, qui, etsi non fuerint Harveio et Sydenhamo pares, eundem tamen ortum et disciplinam moribus et ingenio referunt. Sed hodierni instituti ratio id præscribit, ut arctiori posito limite eos modo complectar, qui aut auctoritate suâ aut munificentia rem nostram auxerint. Jumdudum nonnullos ex eorum numero breviter perstrinxi, quos paullò diffusiùs disseruisse oportuit. Nam Linacer aut Caius ne e memoriâ excidant, vel ideo cavendum est, quia

eodem casu, quicquid apud nos extat venerabile et pulchrum et decorum ne intereat, metuendum est. Quod profecto nonnulli in animo habere videntur, qui Græcas et Latinas literas hisce sedibus deturbandas volunt, eo scilicet argumento usi, ut hujusmodi studiis nequaquam vacant, qui medicis quantum opus sit incumbunt.

At neque Linacro neque Caio hæc studia impedimento fuisse, quominus medicinæ cultum sedulo prosequerentur, vix opus est ut vobis edoceam. Testatur id anatomia a Caio sedulo culta, et ita culta, ut prælectiones anatomicas instituit. Testantur medici, quos permultos e Collegio Gonvilliano Academia nostra lubentissimè accepit. Nec jure dici potest, ut aut à Bakero aut ab Heberdeno nostro scientiæ medicæ ita magis profectum fuerit, si minori studio se litteris Latinis et Græcis dedissent.

Quòd autem ad utilitatem hujusce disciplinæ comprobendam, paucissimis coram vos opus est. Nam, si longo quidem usu compertum est, mores hisce litteris emolliri, et affectus cordis violentiores sedari, anne aliquis esse potest, quem iis diligentius incumbere oporteat, quam medicum, ut remedia, quæ alioquì naturâ suâ sunt aspera molli manu leniantur?

Quinetiàm, si vera ferunt, qui nobiliores animi motus, et quandam *μεγαλοφυχίαν* ex literis humanioribus enasci perhibent, in causâ quodammodo esse potuit hæc ipse disciplina, ut bis in rebus dubiis tantum olim defensorem e nostro ipsorum numero feliciter nacti simus.

Primùm scilicet inter belli civilis rabiem, direptâ domo, mox ignibus eâdem concrematâ optimus Hamæus auctor fuit, ut ædes nobis aut avitæ restituantur aut novæ fundentur. Credo equidem

haud aliam ob causam, quam quòd hâc erat excultus disciplinâ, inhumatas clarissimi Drydeni relliquias curavit tumulo que reponi jussit Garthius noster. Nàm, quod commune fuit probrum, id pati nequivit vir literatissimus, ut talia desint erga tantum poetam officia.

Eos mihi limites imponendos esse censi, ut de Collegio nostro ob munificentiam bene meritos præcipuè collaudem; quod si sit, ecquis esse potest, qui me jure culpabit, quod posthabitis aliis ad Radclivium libens progrediar? Nam, qui Oxoniam nostram opibus ornavit, medicam que illius urbis scientiam nobili Bibliothecâ ampliavit et communivit ab eo nobis summopere benefactum esse constat. Diu profecto fuit, quòd Oxoniæ et Cantabrigiæ Alumnos hospitiiis excepimus, et in sociorum ordinem ultro retulimus. Nec ulla res est quæ magis eos nobis hodie devincit, quos ex alienâ quâvis academiâ in ordinem sociorum cooptavimus, quam quòd moribus et ingenio Oxonienses et Cantabrigienses nostros referre videantur. Quin memores nos esse decet pecuniæ ex opibus Radclivii benignissimè nobis collatæ ad hanc ipsam ædificandam domum, in quâ hodie versamur.

Vix opus est, ut in eo collaudando multus sim, qui domûs hujusce mentione habitâ, animo mihi et quasi oculis videtur obversari. Nam Baillæi vel ipsa paries aulæ, quâ hodie excipimur, memores nos faciat, necesse est. Sedenim et jucundum est, et operæ pretium, ut occasione datâ, contemplationi hujusce viri paullùm immoremur. Non quòd ille quidem aut doctrinâ aut medicâ scientiâ cæteris longè antecelluit, etsi in his rebus nulli secundus esset, sed quòd communi quodam sensu, qui in illâ fortunâ rarissimus est, tantopere valuit. Vos etiamnunc nonnulli

meministis, quàm clarè et dilucide omnia exponere solebat, quæcunque aut ad sedem aut ad curationem cujusvis morbi pertineant;—quam nihil prætermisit quod rem illustrare possit, quam nihil adjecit, quod iudicio caliginem offunderet. Tantum etenim abfuit, ut aut jactantior aut effusior æquo esset, ut vix conjecturis suis de naturâ morborum debitum pondus tribuisse fertur. Sciebat enim Baillæus, imò nimiùm sciebat, quantas inter ambages versatur, qui in medicâ scientiâ philosophari audeat.

Si quidèm vita mortuorum in memoriâ vivorum ponitur, haud iniquum est ut Hopesium nostrum hoc loco collaudem, quem primùm anatomiae pathologicae studiis acriter insistentem, dein celeberrimo nosocomio Sti. Georgii decus et columnen, mox vitâ ideo excessisse vidimus, quod curâ, heu nimiâ! morbis aliorum levandis invigilavit.

Quos hodie, Socii Clarissimi, tanquam de Collegio nostro bene meritos laudibus ampliare volui, haud dubium est quin universa civitas de se quoque bene meritos fatebitur. Nec ulla res est, quæ nos, eorum successores, arctiori necessitudine patriæ nostræ devinctos teneat, quam hujuscemodi annua officiorum commemoratio. Sed, enim, in hâc Harveianâ lectione, non abs re futurum esse credo, ut officia quædam quam brevissime percurram, quibus et erga nos fungi populares nostros et concives oporteat. Quippe fieri vix potest, ut a nobis publicæ salutis consulatur, nisi civibus aliis vicissim curæ sit, ne quid nos aut ex erroribus amicorum aut ex odiis infensorum detrimenti capiamus.

Vos profecto, si qui nunc adestis, ut studiis à medicinâ alienis dediti, hospitio tamen à nobis hâc festâ die lubentissime excepti, id

mibi precor ignoscatis, si vos quoque de talibus officiis breviter commoneam.

Id equidem in animis præcipuè tenendum duco, ut favor et studium populi plus in arte medicâ, quam in aliâ quâvis exercendâ valeat. Quod profecto nemini mirum videatur, cui in mentem veniat arcta illa necessitudo, quâ medicus cum ægro contineatur, necesse est. Sed vereor, ne planè fatendum sit, ita plerumque comparari ægros, ut ad benevolos eorum conciliandos affectus plus valeat jucundissima quam aptissima præstare remedia; — et eò valeat, ut majoris persæpè habeatur pretii, non qui cultioris et celsioris sit ingenii, sed qui magis sit facetus et lepidus, et astutus.

Multa nimirum probra in medicos conjecta sunt, quod τεχνην si græce loqui licet, potius quam επιστημην in re medicâ consequendam sibi suis studiis nonnunquam proponant. Sed enim quid obstare potest, quominus hujusce generis nonnulli sint, si quidam id plane compertum habeatur, parum eorum interesse, ut in rebus pathologicis aut therapeuticis aut physiologicis sint instructi, adsit modo comitas et faciles risus, et blandum eloquium, aliæque hujusmodi virtutes?

Parum etenim valebunt, quos hodie celebravimus, majorum exempla, si semel id cognitum et perspectum sit, ut coram istiusmodi iudicibus de victoriâ certandum erit, apud quos pluris valebit aucupari quam meruisse gratiam et favorem.

Verum enimvero ubi de officiis erga medicos fungendis agitur, silentio minimè ea prætereunda sunt, quæ disciplinam et institutiones conservandas aut in melius mutandas spectant. Novas

scilicet res in utrisque moliti sunt viri spectatissimi, et quas ut nostri Collegii, ita totius civitatis multùm interesse confitendum est.

Vix opus esse reor, ut in hoc loco munera vobis exponam, quæ Præsidenti et Censoribus nostris commissa sunt. E quibus id præcipuum duco, ut quater quotannis scientiæ eorum perscrutandæ operum præsent, quibus artem medicam exercere in hâc urbe et locis adjacentibus propositum sit. At quoad longissime possim respicere annales nostros, eam nobis in hâc examinatione placuisse sententiam video, non ut suus cuique detur locus factâ candidatorum de quibus agitur comparatione, sed ut caveatur, ne quid respublica detrimenti capiat, admissis in medicorum ordinem indignis et inexpertis. Haudquaquàm dubitavimus, quin ad hunc modum optime efficiatur, ut successus cuique suus meritis postea responderit.

Pauci sedenim elapsi sunt anni, ex quo in hâc urbe academia nova constituta est, de quâ fausta omnia et felicia precor, etsi ad normam huic nostræ prorsùs absimilem constituta sit. Academia scilicèt, cui Londinensi nomen, id vel ab initio propositum est, ut candidatos honoribus et præmiis pro cuiusque meritis amplificet, et ita amplificet, ut eos in ordines diversos redigat. Quod profectò minime inculpandum fore duco, modo vigili curâ provideri possit, ne laudis ex hujusmodi concertationibus oriundæ nimia cupido noceat. Majus enim momentum habeat, necesse est ad victoriam talem reportandam physicâ quam medicâ scientiâ penitus imbui. Adeo amplior est philosophandi materia de iis rebus quæ facile definiuntur, quam de iis, quæ vix aut ne vix quidem finitionibus

concludi possunt. Quæ profecto res in causâ fortasse fuit, cur tot et tanti medici se totos physicæ scientiæ sæpe dederunt, scientiâ verè medicâ nonnihil neglectâ. Et id quidem in ætate provectori contigit. Quid autem obstare possit, quominus æmula et ambitiosa mens juvenum iis scientiæ partibus, quæ victoriæ acquirendæ præcipuè conferant, fere totam se impendat, et ita impendat, ut candidati, ^{de} quibus agitur, aptiores deveniant ad morborum et remediorum naturam logicè discutiendam, quam ad sanandos ægros?

Brevitè ea quidem, et quâ par fuit reverentiâ perstrinxi, quæ claros viros in re non satis cognitâ et perspectâ peccavisse arbitror. Utpote, quis neque compertum erat, quid hodie postulat ars medica aut ad disciplinam ejus emendandam, aut ad institutiones augendas, nec innotuit quantum vel hujusce Collegii institutionibus inesset boni et pretiosi, quas aut promovisse, aut, ubi opus sit, immutasse satius ni fallor fuerit, quam novas instaurasse.

Sunt autem sunt, qui majoris peragendi cœpti consilium ceperunt, quàm quod culturam et disciplinam candidatorum in re medicâ spectat. Hi sunt, qui in unum omnes ordinem redactos magnumque ex eorum numero lectum senatum volunt, quicumque artem medicam exercent; plausum scilicet ob id à populo petentes, quòd imperium sibi quisque et summatum conscire posse videatur, postquam, pristinâ medicinæ subversâ dignitate, res nostræ “ad summas quasi fæces turbasque redierint.” Quos profectò, ut non imitari ita nos acerrimè propulsare oportebit.

Jamque valete, hospites benigni, et vos Socii dilecti! Nam

quæ ad hanc litem decernendam attinent, nec hujus loci nec temporis est plura disserere, nec

Usque adeo permiscuit ima

Summis longa dies,

ut istiusmodi odiis conculcata pereat Harveii et Linacri antiqua domus.

Nos tamen, eorum hæredes, summâ ope niti decet, ne, si quid longa dies hisce institutionibus intulerit, quod in melius mutari possit, corrigere id et pro viribus nostris emendare prætermittamus.